

DE EPISCOPALI AUDIENTIA ET DE DIVERSIS CAPITULIS,  
QUAE AD IUS CURAMQUE ET REVERENTIAM PONTIFICALEM PERTINENT.

1.4.1

*Imp. Valentinianus et Valens AA. ad Iulianum comitem Orientis*

Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent,  
ne commodum mercandi videantur excedere, Christianos, quibus  
verus cultus est, adiuvaré pauperes et positos in necessitate provideant.

*D. XV k. Mai. Constantinopoli divo Ioviano et Varroniano cons.* [a. 364]

1.4.2

*Idem AA. ad Claudium proconsulem Africae.*

Si clericus ante definitivam sententiam frustratoriae dilationis causa  
ad appellationis auxilium convolaverit, multam quinquaginta  
librarum argenti, quam contra huiusmodi appellatores sanctio generalis  
imponit, cogatur expendere. hoc autem non fisco nostro volumus  
accedere, sed pauperibus fideliter erogari.

*D. VIII id. Iul. Valentiniano np. et Victore cons.* [a. 309]

1.4.3

*Impppp. Gratianus Valentinianus Theodosius et Arcadius AAAA. Neoterio pp.*

Nemo deinceps tardiores fortassis adfatus nostrae perennitatis expectet:  
exsequantur indices, quod indulgere consuevimus. ubi primum dies  
paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvantur.

1 ¶ Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari

potius gaudia laetitiamque communem, si dimittantur, animadvertimus.

2 ¶ Quis enim sacrilege diebus sanctis indulgeat? quis adultero vel stupri  
vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem virginis in  
summa quiete et gaudio communi persequatur instantius?

3 ¶ Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam  
sceleris immanitate non sinit: patiatúr tormenta veneficus, maleficus,  
adulterator violatorque monetae: homicida et parricida quod fecit  
semper expectet: reus etiam maiestatis de domino, adversus quem  
talia molitus est, veniam sperare non debet.

4 ¶ His ergo tali quoque sub absoluteione damnatis indultum nostrae  
serenitatis eo praecepti fine concludimus, ut remissionem veniae crimina  
nisi semel commissa non habeant, ne in eos liberalitatis Augustae  
referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non  
emendationi potius quam consuetudini deputarunt.

*D. V k. Mart. Mediolano Arcadio A. et Bautone vc. cons.* [a. 385]